



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1248. Usque Ad Annum 1276

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1765**

**VD18 90118243**

§.20. Introductio ad Mangu-Canum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66255](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66255)

Sæcul. XIII.  
A. C. 125.

frater! inquiebam, Canum, ut Christo se adjungeret, persuadere vellem, promitteremque, Papam & Francos ipsum magno cum gaudio amicum & fratrem agnuros esse: at non sponderem fore, ut ei se subjiciant, & tributum sicut aliæ nationes pendant. Hoc esset contra mentem meam & injunctum mihi mandatum loqui. Hæc responsio silentium monacho imposuit.

## §. XX.

*Introductio ad Mangu-Canum.*

p. 135.

Quarto Januarii an. 1254 in palatium ad alloquendum Mangu-Canum ducti fuimus. Hoc mandante rogatus, quam ex oblati quatuor potionibus vellemus, gustavi modice illam, quam cerasnam vocant, ex oryza confectam. At interpres noster vinum bibit, & tam largiter, ut dein quid ageret, nesciret. Canus sibi plura alitum rapacium genera afferri voluit, quas pugno impositas tenens avide spectabat. Haud paulo post nos jussit loqui. Procumbebam in genua, & longam Cano vitam precatus, exposita itineris nostri occasione, congruenter epistolæ tuæ in ejus regione commorandi copiam pro nobis petii, eo quod regula nostra nos adstringeret, ut homines secundum legem Dei vivere doceremus. Nec  
aurum

aurum nobis nec argentum esse, quod ipsi offerremus; sed Deo supplices fore pro ipso, uxoribus ac liberis ejus. Orare denique, ut saltem tantisper nos toleraret, dum vis frigoris præterisset. Mangu-Can reponebat, suam & Bati potentiam se quaquaversus extendere instar radiorum solarium: sibi argentum & aurum nostrum haud opus esse. Hactenus intellexi quodammodo interpretem nostrum: at de reliquo nihil percipere poteram, nisi eum ebrium esse: nec Mangu-Can plane sobrius mihi visus. Tale fuit Colloquium nostrum, ac exeuntibus ille nobis dici curavit, se nostri misertum bimestre frigoris prætermittendi spatium nobis concedere, quod Caracari vicina in urbe transigere possemus.

Sæcul.XIII.  
A.C.1255.

Maluimus in aula manere cum monacho Armeno, qui se Sergium nominabat, mihi que dixit, se die Epiphaniæ Domini Mangu-Cano salutis aquam aspersurum. Orabam eum, ut liceret mihi hanc videre scenam, & in tempore locoque hujus testem agere: spondit. Cum dies ille venisset, in palatium acciti sumus cum Presbyteris Nestorianis; sed hi quidem convivio accipiebantur: nos autem redibamus cum Sergio, quem mendacii pudebat sui. Nihilominus Nestoriani quidam jurejurando mihi asseve-

p. 132.

*Hist. Ecclesiast. Tom. XXI.* N ra-

Sæcul. XIII.  
A.C. 1255.

p. 195.

rabant, Mangu-Canum fonte lufrali  
fuisse tinctum: At, Non credo, ajebam:  
rem vidisse me opus foret, ut dicerem.  
Sergius se Sacerdotem fingeat esse,  
cum sacrum Ordinem haberet nullum,  
& sciret nihil. Pauper tantummodo  
textor erat, ut postea comperi ejus re-  
gionem peragrans.

p. 195.

Imminente Paschatis die, quæ hoc  
anno 1254. duodecima Aprilis erat, ma-  
gnopere mihi, ut sacrum facerem, in-  
stabant Christiani, quotquot ex variis  
gentibus Caracari agebant, Hungari,  
Alani, Russi, Georgiani, & Armeni.  
Audiui eorum confessiones per interpre-  
tem, Deique præcepta, & præparationes  
ad hoc Sacramentum necessarias, quam  
poteram, optime illis exposui. Die Cœ-  
næ Domini sacris operabar in baptisterio  
Nestorianorum, ubi altare stabat. His  
Patriarcha suos Bagdetia miserat ingens  
corium quadratum sacro unctum chrisma-  
te, quod eis pro ara portatu facili servit.  
Utebar eorum calice patenaque argentea,  
quæ duo vasa prægrandia erant. Etiam  
die Paschatis Divinum peregi sacrificium,  
& populo sacram communionem præbui.  
In pervigilio Paschatis plures quam sexa-  
ginta homines baptismum pulcherrimo  
ordine acceperunt, quæ res Christianos  
omnes magno affecit gaudio.

§. XXI.